

# JOANNIS PAPÆ II

## EPISTOLÆ.

(Ex Mansi Collect. concil.)

### EPISTOLA ATHALARICI REGIS

AD JOANNEM.

*Continet confirmationem senatusconsulti adversus  
Simoniacos editi.*

Joanni papæ Athalaricus rex.

Si antiquis principibus studium fuit leges exquirere, ut subjecti populi delectabili tranquillitate fruere-  
tur, multo præstantius est talia decernere quæ pos-  
sint sacris regulis convenire. Absint enim a nostro  
sæculo damnosa compendia. Illud tantum possumus  
verum lucrum dicere, quod constat divina judicia  
non punire. Nuper siquidem ad nos defensor Eccle-  
siæ Romanæ flebili allegatione pervenit, cum apo-  
stolicæ sedis peteretur antistes, quosdam nefaria ma-  
chinatione necessitatem temporis aucupatos, ita fa-  
cultates pauperum extortis promissionibus ingravas-  
se, ut (quod dictu nefas est) etiam sacra vasa em-  
ptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit  
crudele committi, tantum religiosum est adhibita pie-  
tate rescare. Atque ideo sanctitas vestra statuisset  
nos præsentis definitione cognoscat, quod etiam ad  
universos patriarchas atque metropolitanas ecclesias  
volumus pertinere, ut a tempore sanctissimi papæ  
Bonifacii, cum de talibus prohibendis suffragiis Pa-  
tres conscripti senatusconsultum nobilitatis suæ me-  
mores condiderunt.

Quicumque in episcopatu obtinendo, sive per se,  
sive per aliam quamcunque personam, aliquid pro-  
mississe declaratur, ut execrabilis contractus cun-  
ctis viribus exueretur [efferreretur, *al.* efficeretur]. Si  
quis autem in hoc scelere deprehenditur fuisse ver-  
satus, nullam relinquimus vocem: verum etiam si  
aut repetendum, aut quod acceptum est, non red-  
dendum esse crediderit, sacrilegii reus protinus ha-  
beatur, accepta restituens compulsione iudicis com-  
petentis.

Justissimæ quidem leges ut bonis aperiunt, ita clau-  
dunt malis moribus actionem: propterea quidquid in  
illo senatus decretum est consulto, præcipimus in  
eos modis omnibus custodiri, qui se quoquomodo  
per interpositas quascunque personas scelestis contra-  
ctibus miscuerunt.

Et quia omnia deest sub ratione moderari, nec  
possunt dici justa quæ nimia sunt: cum de apostolici  
consecratione pontificis intentio fortasse prævenit  
[pervenerit], et ad palatium nostrum producta fue-  
rit altercatio populorum, suggerentes nobis intra tria  
millia solidorum cum collectione chartarum censem-  
mus accipere, a quibus tamen omnes inidoneus [ido-  
neos] rei ipsius consideratione removemus: quia de  
ecclesiastico munere pauperibus est potius consula-

**A** dum. Alios vero patriarchas, quando in comitatu  
nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradic-  
tis conditionibus atque personis intra duo millia  
solidorum jubemus expendere: in civitatibus autem  
suis tenuissimæ plebi non amplius quam quingentos  
solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos  
accipientes et edicti præsentis et senatusconsulti nu-  
per habiti pœna constringat, et dantes canonum se-  
veritas persequatur.

Vos autem, qui patriarcharum honore reliquis  
præsidetis Ecclesiis, quoniam constitutio nostra ab  
illicita promissione liberavit, restat ut bona imi-  
tantes exempla, sine aliquo Ecclesiarum dispendio  
dignos majestate pontifices offeratis. Iniquum est  
enim ut locum apud vos habeat ambitus, quem nos  
laicis divina consideratione præclusimus. Quapropter  
parentes nobis [uos] servientium quascunque perso-  
nas aliqua suffragii crediderit ambitione promoven-  
dum, et ipsum reddere accepta definimus, et quod  
est canonibus statutum, eum modis omnibus esse  
passurum. Si quis vero quæ dederit aut promiserit,  
eodem superstite, timuerit publicare, ab hæredibus  
vel pro hæredibus ejus Ecclesia repetat, cujus suffragio  
antistes deprehenditur ordinatus: nota infamiæ nibilo-  
minus superstites inurente, reliquos quoque ordines  
sub eadem fieri distinctione [districtione] præcipimus.

Quod si forsitan dolosæ machinationis invento,  
sacramentis persona intercedentibus fuerit obligata,  
ut salvo statu animæ commissam iniquitatem neque  
approbare possit, neque audeat accusare: damus li-  
centiam quibuslibet honestis personis in singulis qui-  
busque civitatibus apud iudices competentes hoc cri-  
men deferre, et quidquid ex ea poterit reprobatione  
colligi, ut approbationem [approbatione] insequentem  
animemus: tertiam partem judicatæ rei ille percipiat,  
qui tale facinus voluerit publicare; reliqua vero ipsis  
ecclesiis proficiant quæ videntur extorta, aut in fa-  
brica earum, aut in ministerio nihilominus profutura.  
Decet enim ad usus bonos convertere, quæ voluit  
perversitas inimice fraudare. Quiescat igitur mali-  
gantium prava cupiditas. Quo tendunt qui a fonte  
præclusi sunt? Recolatur et timeatur Simonis justa  
damnatio, qui emendum credidit totius largitatis au-  
ctorem.

Orate igitur pro nobis, edicta nostra custodientes,  
quia divinis noscitur convenire mysteriis. Sed quo  
facilius principis votum universorum mentibus inno-  
tescat, hoc senatui, hoc populis per præfectum urbis  
præcipimus intimari, ut generalitas agnoscat nos illos  
prosequi qui majestati divinæ potius viderentur ad-  
versi. Vos quoque hoc universis, quos Deo propitio  
regitis, episcopis intimare; neque sit alienus a culpa  
qui potuit cognoscere constituta.

## EPISTOLA CASSIODORI

AD JOANNEM PAPAM.

*Cum a rege præfectus prætorii constitutus esset, pro bono regimine preces pontificis ad Deum implorat.*

Supplicandum vobis est, beatissime pater, ut lætitiā quam per vos, Deo largiente, percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus. Quis enim dubitet prosperitatem nostram vestris meritis applicandam, quando honorem adipiscimur, qui a Domino diligere non meremur; et permutatione efficaci bona recipimus, dum talia non agamus? Ecclesiasticis siquidem jejuniis fames est exclusa popularis, decoris lacrymis tristitia fœda discessit; et per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius quod gravabat. Et ideo salutans officiositate qua dignum est, precor vivacius oretis pro salute regnantium: quantum eorum vitam cœlestis princeps faciat esse longævam, Romanæ reipublicæ hostes imminuat, tempora tranquilla concedat; deinde quod ornat pacem, necessariam nobis copiam de abundantia suæ horreis largiatur; mibique filio vestro intelligentiæ sensus aperiat, ut quæ vere sunt utilia sequar, quæ vitanda refugiam; vigor ille rationalis animæ nobis consilium præstet; facies veritatis albescat, ne mentem nostram innubilet caligo corporea: sequamur quod intus est, ne foris a nobis simus; instruat quod de vera sapientia sapit, illuminet quod cœlesti claritate resplendet: talem denique judicem excipiat publicus actus, qualem filium catholica mittit Ecclesia. In suis nos etiam muneribus virtus sancta custodiat: quia graviores insidias antiqui adversarii tunc subimus, quando ejus dona suscipimus.

Nolite in me tantum rejicere civitatis illius curam, quæ potius vestra laude secunda est. Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis, vos patris nomine universa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui divinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed non omnia. Pacitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem; tamen nec ista potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere: nam sicut

\* Hanc Joannis papæ et præcedentem Justiniani imperatoris epistolam, Hothomannus jurisconsultus libro primo capite primo Respons. amicabilium, et cum eo plures alii novatores leguleii hæretici germanas esse impie et imperite negant. De hac enim epistola Joannes scribens illustribus viris Avieno, Senatori, Liberio, etc.: Justinianus, inquit, imperator, ut ex epistolæ ejus tenore cognovistis, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signavit. Utrum unus ex trinitate Christus et Deus noster dici possit, etc. Quæ si leguleio novatori innotuissent, erubuisset, credo, aliter loqui vel sentire. Doctissimus jurisconsultus Cujacius secundam epistolam Joannis, quam infra subjungo, adeptus, ex eadem cognovit, dictas Justiniani et Joannis epistolas genuinas esse, vereque germanas, secutus hac in re sententiam disertissimi Alciati, qui de his libro primo Parergon cap. 33, hæc scribit: Sunt et qui suspectam habent Joannis pontificis epistolam quæ sub titulo de Trinitate in Justiniani codice sita est, dicuntque in antiquis codicibus non inveniri: quod, ut arbitror, ideo faciunt, ut illos adjuvent qui pontificis Romani auctoritatem deprimunt: quæ nomine alios quoque auctores ab iis depravatos deprehendi, ut Othonis Frisingensis chronica, et Ligurini

A homo constat ex dualitate, ita boni patris est utraque refovere. Primum penuriam quidem temporis, quam delicta promerentur, orationibus sanctis amovere. Si quid tamen (quod absit) acciderit, tunc bene necessitas excluditur, quando contra eam sub ubertate tractatur.

Monete me quæ sunt gerenda sollicite; bene agere vel correptus exopto: quia difficilius errat ovis quæ voces desiderat audire pastoris, nec facile efficitur vitiosus cui admonitor insistit assidens. Sum quidem judex palatinus, sed vester non desinam esse discipulus: nam tunc ista recte gerimus, si a vestris regulis minime discedamus. Sed cum me a vobis desiderem et moneri consiliis, et orationibus adjuvari, jam vobis est applicandum, si in me fuerit aliter quam optabatur inventum. Sedes illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, quæ licet generalis mundo sit præstita, nobis [vobis] etiam cognoscitur et localiter attributa.

Tenemus aliquid sanctorum apostolorum proprium, si peccatis dividendibus non reddatur alienum, quando confessiones illas quas videre universitas appetit, Roma feliciter in suis sinibus habere promeruit. Nihil ergo timemus, talibus patronis, si oratio non desistat antistitis. Arduum quidem est multorum desideriis satisfacere; sed novit Divinitas magna præstare: ipsa retundat invidios; ipsa nobis faciat cives cœlesti aspiratione gratissimos, et supplicationibus vestris tempora tribuat, quibus superæ gratia prædicetur indulta.

## EPISTOLA \* JUSTINIANI IMPERATORIS

AD JOANNEM PAPAM,

*Quam Hyphtius et Demetrius episcopi legatione imperatoria fungentes Romam attulerunt.*

Victor Justinianus, pius, felix, inclytus, triumphator, semper Augustus, Joanni sanctissimo archiepiscopo æmæ urbis Romæ et patriarchæ.

Reddentes honorem apostolicæ sedi et vestræ sanctitati, quod semper nobis in voto fuit et est (ut

poetæ carmina quædam. Ego in antiquis plurimis eam exstare scio, nec ulla suspitione convelli posse. Quod si unus aut alter codex non habeat, id scriptorum incuriæ tribuendum, qui eam quandoque omiserint, quod non multum ad legalis scientiæ materiam pertineret, non tamen ideo hæsitandum est, quin genuinus germanusque Joannis sit fetus. SEV. BINIUS.

Epistola Justiniani ad pontificem scripta est anno Domini 533, sub tertio consulatu ejusdem Justiniani, quando ab eodem imperatore missa est Romam legatio, de qua infra in notis concilii Romani. Etiam si enim hic sine die et consule epistola Joannis intexta reperitur, tamen infra in quadam epistola imperatoris ad Agapetum expressa habetur data sub tertio consulatu Justiniani. Accedit quod ejusdem epistolæ mentionem fecerit imperator in constitutione quam scripsit ad Epiphanium Constantinopolitanum sub consulatu suo tertio, vii kalendas Aprilis prædicti anni 533. Epistola autem Joannis papæ reddita est ad ipsum imperatorem sub consulatu Paulini, anno Christi 534, quando legati Justiniani Roma dimissi

\* Ex v. c. corrige sublata parenthesi: ut et decet patrem, honorantes vestram beatitudinem.

debet patrem), honorantes vestram beatitudinem, A omnia quæ ad ecclesiarum statum pertinent, festinavimus [festinamus] ad notitiam deferre vestræ sanctitatis: quoniam semper nobis fuit magnum studium, unitatem vestræ apostolicæ sedis et statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire; quæ [qui] hactenus obtinet, et incommote permanet, nulla intercedente contrarietate. Itaque omnes sacerdotes universi orientalis tractus et subicere et unire sedi vestræ sanctitatis properavimus. In præsentī ergo quæ [hic] commota sunt, quamvis manifesta et indubitata sint, et secundum apostolicæ vestræ sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firme [ferme] custodita et prædicata, necessarium duximus ut ad notitiam vestræ sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quidquam quod ad Ecclesiarum statum per-

tinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ [quia] caput est omnium sanctarum Ecclesiarum. Per omnia enim (ut dictum est) properamus honorem et auctoritatem crescere vestræ sedis. Manifestum igitur facimus vestræ sanctitati, quod pauci quidam infideles et alieni sanctæ Dei [sedi] catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ contradicere Judaice atque apostatice ausi [visi] sunt adversus ea quæ ab omnibus sacerdotibus secundum vestram doctrinam recte tenentur, et glorificantur, atque prædicantur; denegantes Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium Dei et Dominum nostrum incarnatum de sancto Spiritu, et ex sancta atque gloriosissima semper Virgine Dei Genitrice Maria hominem factum atque crucifixum, unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis, et coadorandum et conglorificandum Patri et Spiritui sancto, consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundemque ipsum impassibilem deitate. Recusantes quini Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium Dei et Dominum nostrum fateri unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis, videntur Nestorii malam sequi doctrinam, secundum gratiam dicentis unum Filium Dei, et alium dicentis Dei Verbum, et alium Christum. Omnes vero sacerdotes sanctæ catholicæ atque apostolicæ Ecclesiæ, et reverendissimi archimandritæ sanctorum monasteriorum sequentes sanctitatem vestram, et custodientes statum et unitatem sanctarum Dei Ecclesiarum, quam habent ab

apostolica vestræ sanctitatis sede <sup>1</sup>, nihil penitus immutantes de ecclesiastico statu, qui hactenus obtinuit atque obtinet, uno consensu confitentur et glorificant, prædicantes Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Filium et Verbum Dei et Dominum nostrum ante sæcula et sine tempore de Patre natum, in ultimis diebus descendisse de cælis, et incarnatum de Spiritu sancto, et ex sancta atque gloriosa Virgine Dei Genitrice Maria natum, et hominem factum, et crucifixum, unum esse sanctæ et consubstantialis Trinitatis, et coadorandum et glorificandum Patri et sancto Spiritui. Nec enim alium Dei Verbum et alium Christum cognoscimus; sed unum atque eundem ipsum consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem, passibilem carne, eundem ipsum impassibilem deitate. Ut enim est in divinitate perfectus, ita idem ipse et humanitate perfectus est: in una enim substantia deitatem suscipimus et confitemur, quod Græci dicunt ὁμοούσιον <sup>2</sup>. Et quoniam unigenitus Filius, et Verbum Dei ante sæcula et sine tempore de Patre natus, idem ipse et in ultimis diebus descendens de cælis incarnatus de Spiritu sancto, et ex sancta atque gloriosa semper Virgine et Dei Genitrice Maria, homo factus Dominus noster Jesus Christus proprie et vere Deus est; ideo et sanctam atque gloriosam Virginem Mariam proprie et vere Dei Matrem esse dicimus; non quia Deus Verbum principium ex ipsa sumpserit, sed quia in ultimis diebus descendit de cælis, et ex ipsa incarnatus, et homo factus, et natus est, quem confitemur et credimus (sicut dictum est) consubstantialem esse Patri secundum deitatem, et consubstantialem nobis eundem ipsum secundum humanitatem; ejusdem miracula et passiones, quas sponte in carne sustinuit <sup>3</sup>, agnoscentes. Suscipimus autem sancta quatuor concilia, id est trecentorum decem et octo sanctorum Patrum qui in Nicæna urbe congregati sunt; et centum quinquaginta sanctorum Patrum (qui in hac regia urbe convenerunt; et sanctorum Patrum \*) qui in Epheso primo congregati sunt; et sanctorum Patrum qui in Chalcedone convenerunt, sicut vestra apostolica sedes docet atque prædicat. Omnes ergo [namque] sacerdotes sequentes doctrinam apostolicæ sedis vestræ ita credunt et confitentur et prædicant, unde properavimus hoc ad notitiam deferre vestræ sanctitatis per Hypatium et Deme-

D rographo proprio ad sedem apostolicam per episcopos Hypatium et Demetrium. Unde falsum esse constat quod edictum Justiniani adversus tria capitula tempore Vigilii papæ conscriptum ad Joannem (prout in antiquioribus editionibus mendosa inscriptio eidem præfixa habet) transmissum fuerit. Vide quæ dixi supra in notis ad Vitam Joannis, verbis: *Misit fidem suam*, etc.; item quæ infra notavimus sub Vigilio. SEV. BIXVS.

<sup>1</sup> Ad apostolicam vestræ sanctitatis sedem.

<sup>2</sup> καθ' ὑπόστασιν ὁμολογούμεν.

<sup>3</sup> Suscepit, cognoscente.

\* Anulis inclusa in Labbeo omissa suppleta sunt ex Rom. edit.

rium beatissimos episcopos, ut nec vestram sanctitatem lateant, quæ a quibusdam paucis monachis male et Judaice secundum Nestorii perfidiam denegata sunt. Petimus ergo vestrum paternum affectum, ut vestris ad nos destinatis litteris, et ad sanctissimum episcopum hujus almæ urbis, et patriarcham fratrem vestrum (quoniam et ipse per eosdem scripsit ad vestram sanctitatem, festinans in omnibus sequi sedem apostolicam beatitudinis vestræ), manifestum nobis faciatis, quod omnes qui prædicta recte confitentur suscipit vestra sanctitas, et eorum qui Judaice ausi sunt rectam denegare fidem condemnat perfidiam: plus enim ita et circa vos omnium amor et vestræ sedis crescet auctoritas: et quæ ad vos est unitas sanctarum Ecclesiarum inturbata servabitur, quando per vos didicerint omnes beatissimi episcoporum quæ ad vos relata sunt sinceram vestræ sanctitatis doctrinam. Petimus autem vestram beatitudinem orare pro nobis, et Dei nobis acquirere providentiam. *Item subscriptio* <sup>1</sup>. Deitas te conservet per multos annos, sancte ac religiosissime pater <sup>2</sup>.

EPISTOLA (olim II) JOANNIS PAPÆ II  
AD JUSTINIANUM.

*Laudat catholici imperatoris egregiam pietatem debitumque ipsius religionis, quo sedem apostolicam, a qua requirebat evangelicam veritatem, prosequeretur. Rogat Augustum, ut quos a recto fidei catholice itinere aberrare sciret, omni studio adhibito revocaret, et inter alios ipsos legatos a monachis Acæmetis Romanam missos.*

Gloriosissimo et clementissimo filio Justiniano Augusto, Joannes episcopus urbis Romæ salutem donat <sup>3</sup>.

Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestræ laudes, Christianissime principum, puriore luce tanquam aliquod sidus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio, edocti ecclesiasticis disciplinis, Romanæ sedis reverentiam conservatis, et ei cuncta subjicitis, et ad ejus deducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc est apostolorum primum, Domino loquente præceptum est: *Pasce oves meas* (Joan. xxi), quam esse omnium vere Ecclesiarum caput et Patrum regulæ et principum statuta declarant, et pietatis vestræ reverendissimi testantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore quod Scripturæ loquuntur: *Per me reges regnant, et potentes scribunt justitiam* (Prov. viii). Nihil est enim quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe; nihil est quod ita nequeat occasui subjacere, quam vera

<sup>1</sup> Inteligit illud apud Contium exstans edictum, quo Eutychetem, Nestorium, eorumque sectarios condemnat ea intentione ut omnem calumniandi occasionem illis adimat, ne, si Nestorium condemnaret, a Nestorianis (ut plerumque fiebat) Eutychianus vel Apollinarista nominaretur; contra vero, si Eutychetem condemnaret, ab ejusdem sectatoribus Nestorianus appellaretur. Sev. Binius.

<sup>2</sup> Hoc loco intelligis Justinianum imperatorem ex sententia episcoporum cuncta de fide edicta statuisse et promulgasse, ipsumque Romanæ Ecclesiæ

A religio: nam cum auctorem vitæ vel luminis utraque respiciant, recte et tenebras respiciunt, et nesciunt subjacere defectui. Quamobrem, gloriosis in principum, votis omnibus exorabitur divina potentia, ut pietatem vestram in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integræ religionis studio sine defectu sui in longiora tempora conservet. Hoc enim et sanctis credimus Ecclesiis expedire; scriptum est enim: *Labiis regit rex* (Prov. xvi); et iterum: *Cor regis in manu Dei est, et ubi voluerit inclinabit illud* (Prov. xxi): hoc est enim quod vestrum firmat imperium, hoc quod vestra regna conservat. Nam pax Ecclesiæ, religionis unitas, auctorem facti in vobis blime provectum grata sibi tranquillitate custodit. Neque enim parva ei vicissitudo a potentia divina tribuitur, per quem nullis rugis Ecclesia divisa seceritur, nullis insertis maculis variatur: scriptum est enim quia, *cum rex justus sederit super sedem, non adversabitur ei quidquam malignum* (Prov. xx). Proinde serenitatis vestræ apices per Hypatium atque Demetrium sanctissimos viros, fratres et coepiscopos meos, reverentia consueta suscepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis proposuistis edictum <sup>a</sup> amore fidei, pro submovenda hæreticorum intentione, secundum apostolicam doctrinam, fratrum et coepiscoporum nostrorum interveniente consensu <sup>b</sup>: quod quia apostolicæ doctrinæ convenit, nostra auctoritate confirmamus.

*Textus autem epistolæ talis est: Reddentes honorem apostolicæ sedi. ut supra præcedenti epistola.*

C Liquet igitur, imperator gloriosissime, ut lectionis tenor et legatorum vestrorum relatio patefecit [patefacis], vos apostolicis eruditionibus studere, cum de religionis catholice fide ea sapitis, ea scripsistis [scribitis et publicatis], ea pro ulistis, ea populis fidelibus publicastis, quæ (sicut diximus) et sedis apostolicæ <sup>b</sup> doctrina, et sanctorum Patrum veneranda decernit auctoritas, et nos confirmamus in omnibus. Opportunum est ergo voce proclamare prophetica: *Tibi abundet cælum desuper, et effundant montes jucunditatem, et colles lætitia lætabuntur* (Psul. xcvi). Hæc igitur in tabulis cordis fideliter scribere, hæc ut pupillas oculorum convenit observare: neque enim quisquam est in quo Christi charitas fervet, qui tam rectæ, tam veræ confessionis vestræ fidei refragator existat: cum evidenter impietatem Nestorii Eutychetisque et omnium hæreticorum damnantes, unam veram catholicam fidem Domini et Dei nostri Salvatoris Jesu Christi magisterio institutam, et prophetis apostolicisque prædicationibus

episcopum velut primarium catholice Ecclesiæ antistitem consuluisse, num omnia pie, sancte et orthodoxe fidei convenienter constituta fuissent. Sev. Binius.

<sup>1</sup> Et alia manu, Divinitas te serve.

<sup>2</sup> Datum viii id. Junii.

<sup>3</sup> In v. c. titulus hisce verbis concipitur: *Constantino Justiniano P. F. Augusto III consuli Joannes episcopus.*

<sup>4</sup> Sedes apostolica docet.

ubique diffusam, et sanctorum per totum orbem confessionibus roboratam, Patrum atque doctorum sententiis adunatam, et nostræ doctrinæ consentaneam inconcusse atque inviolabiliter devota Deo et pia mente servatis. Soli etenim professionibus nostris adversantur, de quibus divina Scriptura loquitur, dicens: *Posuerunt mendacium spem suam, et mendacio operiri speraverunt (Isa. xxviii)*; et iterum, qui secundum prophetam dicunt Domino: *Recede a nobis, vias tuas scire nolumus (Job. xxi)*. Propter quod Salomon dicit: *Per semitas propriæ culturæ erraverunt, colligunt autem manibus infructuosa (Prov. v)*. Hæc est igitur vera vestra fides, hæc certa religio: hoc beatæ recordationis (ut diximus) Patres omnes præulesque Romanæ Ecclesiæ, quos in omnibus sequimur, hoc sedes apostolica prædicavit hactenus, et inconcusse custodivit: huic confessioni, huic fidei quisquis contradictor extiterit, alienum seipsum a sancta communione, alienum ab Ecclesia judicabit esse catholica. Nos enim Cyrum cum sequacibus suis in Romana invenimus civitate, qui de Cumitensi [Acœmetensi] monasterio fuit: quos apostolicis suasionibus ad rectam fidem, et velut oves quæ perierant errantes ad ovile contendimus revocare dominicum, ut agnoscant secundum prophetam linguæ balbutientes loqui quæ ad pacem sunt. Ad non credentes autem per nos primus apostolorum Isaïæ prophetæ [Isaias propheta] verbum dicit: *Pergite in lumine ignis vestri, et flammæ quam accendistis (Isa. l)*. Sed obduratum est cor eorum (ut scriptum est) ut non intelligerent: et pastoris vocem oves, quæ meæ non erant, audire minime voluerunt. In quibus observantes ea quæ ab ipsorum sunt statuta pontifice, eos minime in nostra communione recepimus, et ab omni Ecclesia catholica esse jussimus alienos; nisi errore damnato, doctrinam nostram quantocius sequi habita regulari professione signaverint. Æquum quippe est ut qui nostris minime obedientiam accommodant statutis, ab Ecclesiis habeantur extorres. Sed quia gremium suum nunquam redeuntibus claudit Ecclesia, obsecro clementiam vestram ut si, proprio deposito errore, et prava intentione depulsa, ad unitatem Ecclesiæ reverti voluerint, in vestra communione receptis indignationis vestræ removeatis aculeos, et nobis intercedentibus benigni animi gratiam condonetis. Deum autem et Salvatorem nostrum Jesum Christum exoramus, quatenus longævis et pacificis vos dignetur custodire temporibus in hac vera religione et unitate et veneratione apostolicæ sedis; cujus principatum, ut Christianissimi et pii, conservatis in omnibus. Præterea, serenissime principum, laudamus legatorum vestrorum personas Hypatii et Demetrii fratrum et coepiscoporum nostrorum, quos clementiæ vestræ gratos fore ipsa manifestavit electio. Nam tantæ causæ pondus non nisi perfectis in Christo potuisset injungi; tantæ vero pietatis, tantæ reverentiæ plenos affatus, nisi per amantes minime dignarentur destinare. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei Patris, et communicatio sancti

A Spiritus sit semper vobiscum, piissime filii. Amen.  
*Item subscriptio*: Omnipotens Deus regnum vestrum et salutem vestram perpetua protectione custodiat, glorioissime et clementissime filii imperator Auguste. Data Romæ viii kalendas Aprilis, domino nostro Justiniano P. P. Augusto iv et Paulino viris clarissimis consulibus [Anno Christi 534].

EPISTOLA (olim IH) JOANNIS PAPÆ

AD SENATORES.

*Fidem de Christi divinitate et incarnatione confirmat: Acœmetas monachos Nestorii sectatores vitandos esse monet.*

Joannes episcopus Romanus, illustribus ac magnificis viris Avieno, Senatori, Liberio, Severino, Fidei, Avito, Opilioni, Joanni, Silverio, Clementiano, et Ampelio.

Olim quidem, illustres et magnifici filii, ad hoc sententiæ meæ summa constiterat, ut ante jussionem vestram, postquam epistolæ vel dogmatis tenorem cuncta Ecclesia, hoc est sacerdotum senatus, et populi probavit assensus, sub paginali alloquio vestris etiam sensibus intimanda dirigerem; sed consilii ordinem illa res vertit, quia et dogmati per dies singulos divinæ Scripturæ subduntur, et imperfecta destinari non poterant, et ea quæ per legatos directæ sunt, prius non poterant in exemplaribus scripta transmitti. Novimus etenim quod, Domino docente, præceptum est, quod pastor diligens gregem salubria ultro non desistat ingerere: quia res quæ ad salutem animæ pertinet, omnibus necesse est sensibus intimari. Proinde, illustres et magnifici filii, quia festinatio non pertulit portitores, ut ea scribi et dirigi potuissent, incontinenti tamen, si dictus divinus favor arriserit, tam epistolæ quam dogmatis exemplaria destinabimus. Nunc tamen, ne quid de vestris sensibus relinquatur ambiguum, quid epistolæ tenor habeat, quod textus dogmatis contineat, breviter insinuare curavi. Justinianus siquidem imperator filius noster, ut ejus epistolæ tenore cognovistis, de his tribus quæstionibus orta certamina fuisse signavit, utrum unus ex Trinitate Christus et Deus noster dici possit: hoc est una de tribus personis sanctæ Trinitatis sancta persona. An Deus Christus carne pertulerit impassibili deitate. An proprie et veraciter Mater Domini Dei nostri Christi Maria semper virgo debeat appellari. Probavimus in his catholicam imperatoris fidem, et ita esse propheticis et apostolicis vel Patrum exemplis evidenter ostendimus: unum enim ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est unam de tribus sanctæ Trinitatis personis sanctam esse personam, sive subsistentiam, quam Græci ὑπόστασιν dicunt, in his exemplis evidenter ostendimus.

In libro Genesis per Mosen Trinitas ipsa sic dicit: *Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis (Genes. ii)*. Et item Vas electionis Paulus ad Corinthios ita evidenter expressit: *Unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus noster Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum (I Cor. viii)*.

Et in symbolo synodi Nicænæ : *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, et in unum Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum.*

Item sanctus Augustinus, cujus doctrinam, secundum præcessorum meorum statuta, Romana sequitur et servat Ecclesia, in libro unde imo de Civitate Dei dicit : *Credimus et tenemus, et fideliter prædicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc est Sapientiam, per quam facta sunt omnia, unus unum, æternus coæternum, summus bonus æqualiter bonum; et quod Spiritus sanctus simul et Patris et Filii sit Spiritus, et ipse consubstantialis, et coæternus ambobus, atque hoc totum trinitas sit propter proprietatem personarum, et unus Deus propter inseparabilem unitatem, sicut unus omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam : ita tamen, ut cum de singulis quæritur, unusquisque eorum et Deus et omnipotens esse respondeatur.*

Ejusdem in libro secundo contra Maximinum : *Et Pater Deus est, et Filius Deus est, et Spiritus sanctus Deus est, et hi simul tres unus Deus est, nec hujus trinitatis tertia pars est unus, nec major pars duo quam unus est.*

In libro sancti Augustini decimo quinto de Trinitate : *Ratione etiam reddita intelligentibus palam est substantia veritatis, non solum Patrem Filio non esse majorem, nec ambos simul aliquid esse majus quam Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem trinitate majus esse aliquid quam unum, aut omnes simul tres majus aliquid esse quam singulos.*

Gregorius Nazianzenus ex sermone de Epiphania Domini : *Cum omnino uno lumine illustramur, simul et tribus; tribus quidem secundum uniuscujusque proprietates, sive substantias, sicut placet aliquibus dicere, sive personas : nihil enim pro vocabulorum diversitate dissidendum est, cum ad eundem sensum nominum diversitas provocet et intellectum. Unum autem secundum substantiam vel deitatis ratione : dividitur ergo, ut ita dicam, indivisibiliter, conjungitur divisibiliter, una est in tribus deitas.*

Item ex epistola Gregorii Nysseni ad Ablavium : *Æstimet hæc opera utrum uni assignentur personæ eorum, quam [Forte qui] in sancta Trinitate creduntur, an per tres est virtutis effectus.*

Item ex epistola Procli ad Occidentales : *Super hæc etiam confitemur unum ex Trinitate increata atque ineffabili Deum Verbum factum hominem.*

Ejusdem : *Quid enim nos sapimus atque sentimus, quia in ipsa divina natura, qua conjunctus et unitus est Filius Patri sanctoque Spiritui, non dicimus eum deitate passum fuisse, sed carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis. Unus igitur ex Trinitate crucifixus est carne qua factus est; non tamen deitate, quæ unitus est Patri et Spiritui sancto, perpressus est, ne et illos crucifixos pariter asseramus.*

Hæc igitur ex plurimis pauca digessimus.

Deum vero carne passum hic nihilominus roboremus exemplis.

**A** Ex libro Exodus per Moysen Dominus locutus est : *Et videbitis vitam vestram in ligno pendentem (Deut. xxviii).* Deum autem esse vitam Dominus noster in Evangelio Joannis prædicat dicens : *Ego sum via, veritas, et vita (Joan. xiv).*

Item propheta dicit : *Si affigit homo Deum suum, quia vos affixistis me (Malach. iii).*

Princeps quoque apostolorum beatus Petrus in Actibus ita dicit, dum impietates Judæorum argueret : *Vos autem virum homicidam peristis dimitti vobis, auctorem vero vitæ peremistis (Act. iii).*

Item Vas electionis et Doctor gentium sic prædicat : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I Cor. ii).* Dominus autem gloriæ est Deus. Sic Psalmographus ante prædixit : *Quis est iste rex gloriæ (Psal. xliii)?*

**B** Item in Actibus apostolorum : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus constituit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (Act. xx).*

Cyprianus episcopus et martyr in epistola de patientia : *Judicatur judicaturus, et Dei sermo ad victimam tacens ducitur.*

Gregorius Nazianzenus : *Et indignimus Deo incarnato et mortifica o, ut nos vivamus.*

**C** Ex libro sancti Augustini de Charitate : *Ille enim qui venit per crucis irrisiones carnis perimere corruptionem, et vetustatem vinculi mortis nostræ suæ mortis novitate dissolvere, mandato novo fecit hominem novum : res enim vetus erat, ut homo moreretur, quæ ne semper valeret in homine, res nova facta est, ut Deus moreretur : sed quia in carne mortuus est, non in divinitate.*

Cyrillus capitulo xii : *Si quis non confitetur Verbum passum carne (et crucifixum carne\*), et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita et vivificans est et Deus, anathema sit.*

In epistola Leonis ad Juvenalem : *Veram igitur generationem crux vera confirmat, quoniam in carne nostra nascitur, qui in nostra carne crucifigitur.*

Ejusdem ex epistola ad Flavianum : *Impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere. Ex hac quoque parte plura ex dogmatis lectionum poteritis agnoscere.*

**D** Gloriosam vero sanctam semper Virginem Mariam proprie et veraciter Dei Genitricem, Matremque Dei Verbi ex ea incarnati, ab hominibus catholicis confiteri recte esse docemus proprie et veraciter; et idem ipse ultimis temporibus incarnatus, ex sancta et gloriosa Virgine matre nasci dignatus est.

Propterea ergo, quia proprie et veraciter Dei Filius ex ea incarnatus est, ideo proprie et veraciter Matrem Dei ex ea incarnati et nati esse confitemur; et ne Dominus Jesus per honorificentiam vel gratiam Dei nomen accepisse credatur, sicut Nestorius sentit insulsus : veraciter autem ideo ne phan-

\* Ansulis inclusa suppleta sunt ex editione Romanæ, ut pote in Labbeo oscitanter omissa.

tasma, aut aliquo modo non veram sumpsisse carnem credatur ex Virgine, sicut asseruit impius Eutyches. Cui rei probamenta ex Patrum traditionibus consequenter sanctus Augustinus in libro primo (cap. 15) Prædestinationis: *Prædestinatus est ergo Jesus, ut futurus secundum carnem filius David esset, in virtute autem Filius Dei simul et filius hominis propter susceptum hominem, et Filius Dei propter suscipientem unigenitum Domini proprie et veraciter diceretur.*

Leporius in epistola quam Aurelius episcopus Carthaginensis, et beatus Augustinus, et synodus Africana firmavit: *Nascitur ergo nobis proprie de Spiritu sancto et Maria semper virgine Deus homo Jesus Filius Dei.*

Gasius ex libro adversus Nestorium et Eutychem: *Propterea quod ex te nascitur sanctum, vocabitur Filius Dei (Luc. 11).* Ex te nascitur, ait, ut proprietatem de matre sumendam nostræ conditionis exprimeret. His igitur evidenter ostensum est, illustres et magnifici filii, quid speraverit imperator, quid Romana sequatur et colat Ecclesia. Atque igitur Christum Dominum nostrum unum esse, ut sæpe diximus, sanctæ Trinitatis ex duabus naturis cognoscendum, hoc est in deitate et humanitate perfectum, non antea existente carne, et postea unita Verbo, sed in ipso Deo Verbo initium ut esset accipiens: inde enimvero ex materno corpore caro sumpsit initium, salva proprietate vel veritate utriusque naturæ, hoc est divinitatis atque humanitatis, Dei Filium Dominum nostrum Jesum Christum catholici confitemur, omni posthac commutationis confusione submota. Neque enim naturas in eo aliter agnoscimus, nisi differentiam intelligentes et confitentes divinitatis atque humanitatis. Sed nec duas personas in Christo intelligimus per id quod dicimus duas naturas, ut adunationis divisionem facere videamur; et sit, quod absit, quaternitas, non trinitas, sicut Nestorius sentit insanus; nec confundimus eandem unitas naturas, cum unam personam Christi confitemur, ut Eutyches impius credit. Tomum vero papæ Leonis, omnesque epistolas, nec non et quatuor synodos, Nicænam, et Constantinopolitanam, et Ephesinam primam, et Chalcedonensem, sicut Romana hactenus suscepit et veneratur Ecclesia, sequimur, amplectimur atque servamus. Hoc est enim nostræ fidei firmamentum, hæc fidei nostræ petra firmissima. Hæc autem, illustres et magni filii, agens gratias sollicitudini vestræ intimare curavimus: plenius tamen directis exemplaribus poteritis agnoscere. Acœmetas vero, qui se monachos dicunt, qui Nestoriani evidenter apparuerunt, Romana etiam eos damnat Ecclesia; a quibus vos propter canonem qui cum excommunicatis Christianum nec loqui nec communicare permittit, diligentia pastoralis admonere non desino, ut eorum etiam simplicem colloquutionem vitetis, nihilque vobis cum eis æstimetis

\* Hujus epistolæ in codice Iirinensi hujusmodi est inscriptio: *Præceptum Joannis papæ ad presbyteros, diaconos, et cunctum clerum Iirgensis Ecclesiæ.*

esse commune. Quod ideo facio, ne reus silentii inveniar, si hæc ad vestram minime, Christianissimi filii, notitiam pertulisset. Incolumem magnitudinem vestram Deus noster custodiat, domini filii, merito illustres atque magnifici.

#### EPISTOLA (olim IV) JOANNIS PAPÆ

AD EPISCOPOS GALLIÆ

*Contumeliosum Galliæ episcopum episcopatu privatum in monasterium redegit ad pœnitentiam: Ecclesiam ejus sancto Cæsario Arelatensi episcopo commendavit.*

Dilectissimis fratribus universis episcopis per Gallias constitutis Joannes

Innotuit nobis a fraternitate vestra missa relatio, in qua Contumeliosus multis legitur criminibus involutus. Et quia hujusmodi persona sacris non potest inhærere mysteriis, ab hodierno vel officio eum nostra censet remove auctoritas, ut in monasterio constitutus delicti veniam a Domino petere non omittat. Nihil est enim impossibile ejus clementiæ qui potest cuncta relaxare quæ facta sunt. Sed ne ejus Ecclesia destituta videatur, in ejus loco visitatorem dari præsentia auctoritate decernimus, qui a se ita noverit omnia exhibenda, ut nihil de ordinibus clericorum, nihil de ecclesiastica facultate præsumat, sed ea quæ ad sacrosancta mysteria pertinent exsequatur. Prædictum autem Contumeliosum, ut habeat pœnitendi licentiam, petitorium dare vobis censem, ubi errorem suum evidenter allegans sub die profiteatur et consule. Dominus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. Data VII idus Aprilis, Flavio Paulino juniore viro clarissimo consule [Anno Christi 534]

#### EPISTOLA (olim V) JOANNIS PAPÆ

AD PRESBYTEROS ET DIACONOS CONTUMELIOSI EPISCOPI.

Joannes presbyteris, diaconibus, et cuncto clero Ecclesiæ in qua fuit Contumeliosus episcopus.

Pervenit ad nos a fratribus et coepiscopis nostris missa relatio ubi Contumeliosus de criminibus suis confessus legitur atque convictus. Et quia hujusmodi sceleribus implicatus sacerdotii non potest ministeria jam tractare, necessaria vobis solatia credimus visitatoris adjungere; et ideo in Ecclesia ejus visitatorem dari nostra decrevit auctoritas, ut Ecclesia suo privata præsule summi nequeat pontificis solatiis indigere: cui vos in omnibus parere decernimus, ad ea tantummodo quæ sacris sunt gerenda mysteriis, ita tamen ut nihil de ecclesiastica facultate præsumat, et clerus in eo quo nunc est ordine constitutus nullis gradibus promoveatur, donec proprium sacerdotem possit habere. Omnem vero hanc sollicitudinem Cæsario fratri et coepiscopo nostro injungimus, ad ejus curam cuncta quæ necesse sint pertinere censuimus. Dominus vos incolumes custodiat, dilectissimi filii. Data VII idus Aprilis, Paulino juniore viro clarissimo consule [Anno Christi 534].

Quo indicto didicimus quo in loco episcopus fuerit Contumeliosus. JAC. SIRMONDUS.

## EPISTOLA (olim VI) JOANNIS PAPÆ

AD CÆSARIUM ARELATENSEM,

*Cum subjectis canonibus ab eo missis ad examinandam causam Contumeliosi episcopi.*

Dilectissimo fratri Cæsario Joannes.

Charitatis tuæ litteras animo libenti suscepimus, in quibus corporeas necessitates allegans, etiam quæ sacrius <sup>1</sup> ille qui lapsus est fecerit, indicasti. Dolemus de amissione pontificis, rigorem tamen canonum servare necesse est. Atque ideo prædictum ab episcopatus ordine nostra suspendit auctoritas. Neque enim fas est pollutum criminibus sacris ministeriis deservire. Sed te ordinante in monasterio dirigatur, ubi delictorum memor in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, ut ab eo qui omnibus miseretur Domino nostro Jesu Christo misericordiam valeat promereri. In cujus locum visitatorem constituite, donec proprium Ecclesia quæ evacuata est ejus sacerdotio merere valeat sacerdotem. Communibus tamen precibus exorare Deum nostrum debemus, ut puros cunctos præstet antistites. Si qui tamen pontificatus immemores criminibus se fortassis involverint, et eorum personas vulgus cognoscat: facilius enim a delictis cavent, si non videant etiam hominibus secreta esse quæ fecerint. Quæ vero de his canones præcipiunt, subter adjecimus, ut quæ facienda sunt possitis agnoscer. Deus te incolumem custodiat, frater carissime [Anno Christi 534].

## EPISTOLA AFRICANORUM EPISCOPORUM

AD JOANNEM DATA, SED AB AGAPETO EJUS SUCCESSORE ACCEPTA.

*Pontificem de dubiis quibusdam consulunt.*

Domino beatissimo et honorabili sancto fratri et consacerdoti Joanni, Reparatus, Florentinianus, Datianus, et cæteri 217 episcopi, qui in universis conciliis apud Justinianam Carthaginensem [Carthaginem] fuimus.

Optimam consuetudinem præteriti temporis, quam violenta captivitas per annos centum, dolentibus cunctis, abstulerat, iterum servare cupientes, ad universalem totius Africæ synodum fidei devotione convenimus, in illa Justinianæ Carthaginensis [Carthagini] basilica congregationis nostræ primitiis Domino consecrantes, unde nostros patres tyrannus Hunericus expulerat. Hæc basilica Fausti apud nos dicitur, multis martyrum corporibus insignita, quorum Deus exaudivit orationes, ut daret hujus rei fiduciam sacerdotibus. Ibi igitur quantum singuli lacrymantibus gaudiis flere potuerint, cogitandum potius beatitudini vestræ dimittimus: in omnibus

<sup>1</sup> Hoc est, execratus. HARD.<sup>2</sup> Citantur ista in v. c. ex epistola 217 Patrum synodi Carthaginensis anno 534.<sup>3</sup> Sancto Spiritu fervens.

A enim lætitiæ spiritualis unus fuit affectus, agere gratias omnipotenti Deo, cujus gratia peccatoribus sine meritis operum datur, et antidotum fidei salutaris nuper reconciliatis hæreticis obtinetur.

Definitionibus autem Nicæni concilii publica lectione transcursis, inter alia de quibus nancisci debuit, disputatione requiri jam cœperat quomodo Arianorum sacerdotes ad catholicam fidem suscipi oporteat, utrumne in suis honoribus, an in laica communione, sic omnibus nobis unanimiter subito placuit sciscitari primitus beatitudinis vestræ sententiam. Potest enim sedes apostolica, quantum speramus, tale nobis interrogantibus dare responsum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat. Ex omnium quidem collegarum tacitis motibus nemini placere sensimus ut in suis honoribus Ariani suscipiantur. Verumtamen convenire charitati credidimus, ut quid habeat sensus noster in publicam notitiam nemo perduceret, nisi prius vel consuetudo nobis, vel diffinitio Romanæ Ecclesiæ proderetur. Hæc igitur nostræ salutationis epistola per fratres consacerdotes nostros Caium et Petrum, et per filium nostrum Liberatum diaconum continuo destinavimus, et <sup>4</sup> auctoritatem vestræ beatitudinis et gratiam debitis obsequiis honorantes: talis quippe es, qualem sancta sedes Petri merebatur habere pontificem, dignus veneratione, plenus dilectione, loquens veritatem sine mendacio, nihil faciens arroganter. Unde etiam libera charitas universæ fraternitatis requirendum putavit consilium tuum. Respondeat, obsecro, mens illa sancto Spiritui <sup>5</sup> serviens affabiliter et veraciter <sup>6</sup>. Non solum enim de sacerdotibus, sed de ipsis quoque parvulis apud eos baptizatis, utrum soleant vel debeant ad clericatum, si petierint, applicari consulimus. Multis enim facere istas frequenter petitiones concedimus, nec negamus, donec habito vobiscum diligentiore tractatu, legatio nostra revertatur. Illud etiam beatitudini tuæ credimus intimandum, fratres aliquantos ex nostro collegio, relictis sine causa plebibus suis, ad transmarinas navigare sæpius regiones. Hos diutius Ecclesia toleravit, accusantes [excusantes] eos violentiam temporis mali. Petimus nunc ut quicumque forsitan episcopus, aut presbyter, sive diaconus, aut cujuslibet inferioris ordinis clericus sine nostra epistola venerit, et non approbaverit se pro utilitate sanctarum Ecclesiarum fuisse directum, similis hæretico judicetur: neque vestra communione dignus existat, ut in omnibus et per omnia beatitudinis vestræ disciplina laudetur. *Et alia manu: Vegetem [Vegetum] te, nostrique memorem præstet omnipotens Deus, domine frater.*

<sup>4</sup> In illo v. c. hæc inseruntur: *Potest enim sedes apostolica quantum speramus tale nobis interrogantibus dare responsum, etc. ut supra.*